



S. b. 296

Abf. J. A. D.

Theologie

~~A. H.~~ 1252.

O. VII.

Q

IN BIGAM SVPERIOREM, DE MI-
NERVA GRÆCORVM, ET HÆDO
JVDÆORVM:

STATVÆ
PRO REGNIS, POPVLIS,
VRBIBVS:
IN STATVIS ÆNIGMATA.

PRO
AVGMENTO TERTIO
BENEFICIORVM NVPERORVM
IN VSVM
CL. HALLENSIVM PHILOSOPHI,
VT IN STATVIS VIDEAT
ÆNIGMATA, ET IN BACCHO, QVEM
EXPECTAT, GRÆCVM PRÆSENTIAT
POPVLVM.

IN ACADEMIA JVLIA
A. MDCCXXVII.
MENSE JANVARIO
SVMONSTRANTE
HERMANNO von der Hardt,
ACAD. JVL. SEN. ET PRÆP. MARIEB.

HELMSTADII,
LITTERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPogr.

-M- 22 (20)

*Ad Minervam græcorum & hædum judæo-
rum ; in honorem statuarum pro regnis, urbi-
bus, populis*

Minerva Plutarchi, cum judæorum hædum accepisset comitem, suasit Iōnem in conspectum vocare, quæ in vaccam mutata, maria tranaverit, donec perveniret in ægyptum, ifidis nomine solennissime culta. Saxorum superiorum vir gravis & eruditus, antiquarum rerum amans, annuit, qui Herodoti exordium, de tribus illustribus feminis, *Ione*, *Medea*, & *Helena*, illustrari impense desideravit. Ante vero, quam novam illam *trigam*, *Ionis*, *Medæ* & *Helenæ*, demus, libet bigam *Minerva* & *hædi* illustrare, dicendo de veterum more, flatuas ponendi pro integris gentibus, simulacra regnorum & populorum. Meretur omnino antiquitas lucem, cum illa tam densis sit in hunc diem obnupta nebulis, ut nullus poëtarum græcorum, vel & veteranum latinorum, ad nos usque, per tam longa secula loqui potuerit ut videretur. Muffitant non loquuntur, eloquentissimi viri, pingunt non nisi umbra usi, artifices miscendorum colorum peritissimi, Apelle solertiores. Poetam veterem, græcum vel latinum, ne unum quidem tam sero hoc ævo existere, qui fari possit, ut audiatur, dolore dignum, cum nostri seculi pudore. Ingenii vis magna in omnibus, Homero, Hesiodo, Pindaro, Euripide, Æschilo, Theocrito, Virgilio, Horatio, Claudiano, cum toto claro exercitu ; sed muti-
men-

mentis aciem dissimulent, *fabularum* probro? Silentium apud nos præferant eloquio, qui ignominiam *fabulæ* ferre cogantur invitati? Quasi vero *fabulæ nostræ* comparandæ sint cum *mythis*, *historiis politis*, elegantium poetarum. Homerum, ut ceteros jam taceam, ex græcis, ex latinis *Virgilium*, vel *Senecam tragicum*, quis capit, præter pueros, qui ediscant ut verba memoriter recitare possint, rerum imperitissimi. *Fabularum* prætextus, ignorantiae præsidium rude. Quasi vero *fabulæ* veterum poetarum fuerint nugæ, quas pueri verbotenus discant, sensus exfortes, quasi illi nugis sint digni qui ingenio & judicio exercendi.

Veritatis est *dedecus* & puerilis judicii, fabulas objicere poetis antiquis, in opprobrium. Est decus *fabula*, eruditorum quondam ore, *historiæ honos*, rerum a magnis quondam viris gestarum gloria, virtutum excellentium *splendor*, artis dicensi ornatus admirabilis. In *fabulis* illorum *veritas*, habitu eleganti. In *fabulis* græcorum eloquentia decor, in rebus præclaris & rectis graviter commendandis. *Fabulæ* illæ ingenui *virtutum testes*. *Fabulæ* oratores candidi & prudentes. In *historia* vis in animos honestos & virtutis æmulationem; in veteri *fabula* vis major quanto *historia* comtior ac vestita eleganterius. Hæc movent animos & sensus, modo spectatores & lectors non sint infantes, ad nudas etiam & planas *historias* capiendas vix apti. Quamobrem desinunt tandem aliquando viri soler-

solerteres, qui sapiunt, poetis exprobrare fabulas,
 quas illi nondum capiunt, nec rerum effigia-
 tarum decus ac dignitatem penetrant. Juvent
 potius reddere poetis avitum suum honorem,
 ingenii, judicii, veritatis, historiae, eloquentiae,
 ornatus. Evolvant, viri sint, rerum praestantis-
 simarum reconditarum involucra. Nec nucle-
 um quis edat, nisi nucem fregerit. Nec triti-
 cum pane nos satiet, nisi vel rusticus e spicis
 excusserit flagello, vel molitor decorticaverit &
 comminuerit, vel ancilla depserit, vel pistor co-
 xerit. Neque linum corpus tegat ac ornet, nisi
 caules aqua fuerint mucerati, arefacti, fracti
 per servas, & longa largaque ducta fila, nisi &
 textor junxerit, & femina consuerit. Et poeta-
 rum historiae arcae, nucleus dulcissimus, non
 sapiunt, nisi fabularum aut scenarum tegu-
 menta, vela, umbræ, tollantur. In fabulis illis
 delicatissimus cibus, verum animi nutrimentum,
 sed coqui artificio conditum. Nec aroma-
 ta desunt, palato grata. Et in tricliniis nostris
 imagines non formosiores, quam in poetis,
 eorumque cantatis fabulis vel theatris. Omnis
 profecto imago fabula est. Omnis statua fabu-
 la est. In omni imagine, in omni statua, veri-
 tatis idea, veræ rei symbolum. Nec adeo hæc
 ætas judicii vel & ingenii adeo sit exsors, ut ne-
 sciat pervidere quod latet. Corticem inter bel-
 laria in nucibus, pistaciis, castaneis, contem-
 plari vel & contrectare, nec nucleum esse velle,
 est tantum non insipidi. Habemus poetas, cur
 non

12101

non intelligamus? Cur non removeamus cortices? Aliquo opus est labore, non nego. Sed edentulis nec nuces. Viri sumus, laboris non inexperti. Sed plus tamen judicii in his, quam laboris. Modo non plus in contemptu aut neglectu sit soporis & somni. Et somnus non videt, quod in luce. Dormire vero toto die, viri non est sani, ægræ sit feminæ. Non fabulæ poetarum sunt somnia, sed ingenii vita, actionis robur, fatorum series. Neglexisse ha-
Etenuis, aut negligere adhuc, virorum dede-
cuss, sopor frigidus, sine sensu. Evigilare sani-
tati congruit, surgere, & agere rerum inco-
lumentati.

Et nos ergo, ne agamus nihil, dormientium ronchos, *probra in poetarum simulacra, fabularum dictoria, dissimulamus, & ut vigiliam decet, cum viris doctis veteris ævi, cum poetis, confabu- lamur, colloquimur, disserimus, ut antiquitatis res cognoscamus, virtutem antiquam æmula- turi.* Omnia fane *poetarum simulacra*, quin universæ statuariorum, sculptorum, pictorum, statuæ, *imagines*, indubitato sunt ænigmata. Sol- vuntur ænigmata illa per historiam; si constet, quod regnum, quæ gens, natio, res publica, urbs, per statuam effigietur. Ex qua generali gentis aut populi cognitione sponte fluit spe- cialis agnitus partium in statua, pro rebus ac facinoribus illius urbis aut gentis, velut per membra, pro fatorum & factorum ordine. In statua res ampla totius gentis aut urbis. O-

mnia idola statuæ. Omnes *idolorum* statuæ,
 gentium urbiumque apud græcos simulacra.
Minerva statua, *minerva idolum*. In *minerva*, in
 statua, in idolo, multa *insignia*, in capite, in pe-
 ëtore, in manibus, in habitu, in animalibus
 statuæ junctis, in ipsa noctua, *historia Athenar-
 rum*, in symbolis, imaginibus, & iconibus. Mi-
 nervæ idolum, elegans & formosum, nitidum
 Atheniensium simulacrum. Idolum, compen-
 dium historicum urbis & populi atheniensis.
 Vir sit, qui integrum, longam, urbis & gentis
 Atheniensis historiam in Minervæ fronte, ore,
 pectore, scuto, capite medusæ, peplo, galea,
 ense, accinente rauca noctua, pervideat, ordi-
 neque recenseat, in amplissimæ historiæ com-
 pendium commentetur, magna urbis facinora
 per secula, juxta indices illos commemoran-
 do. *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Pausanius*, alii
 veterum multi, *idolorum* statuas stiterunt,
 quas vel viderant vel describi acceperant.
 Centena hæc, millena, per tempora, per urbes,
 per facella, historiarum compendia. Sed ne-
 mo illorum hoc egit, ut vel unum ex historia
 evolveret aut plene illustraret idolum. Hoc
 tamen passim non præterierunt, ut aliquas
 memorabiles historias nomine effigiorum vi-
 rorum recenserent, quod in primis in Pausania
 laudandum. Via hæc ad minimum ad histo-
 riæ statuæ aut idoli. *Hercules cum clava*, &
exuviiis leonis, grande compendium urbis &
 gentis Heracleæ Trachiniæ, pro magnis faci-
 nori-

noribus per multa secula. Non viri illa res, sed virorum, sed populi, sed exercitus, per varias terras, græciæ fundo, commeantes, pro urbibus expugnandis, occupandis, pro præliis commissis, hostibus fusis. *Herculis portentosa facinora*, longo ordine a Diodoro Siculo aliisque descripta, *historia Heraclidarum*, longis seculis. *Herculis monstra*, historiæ græcæ compendia, vel si malis, volumina. *Casalius, Montfaucon*, cum aliis, depinxerunt, integris tomis, *idolorum simulacra*, sed, cum non meminissent, integrum illas esse græcorum bibliothecam, in singulis *idolis volumen historicum*, unum alterumque, in solis statuarum lineis describendis acquieverunt, historiarum luce nulla. Restant omnia. Hæc ætas in imaginibus contemplandis adhuc hæret, de historiis gentium in tantis statuis, idolis, symbolis, nondum sollicita. Hæc habebunt posteri quod agant. Nostrum erit, monstrare viam, aperire volumina illa, pulvrem detergere, monstrare folia, indices, nunciare argumenta, indicare gestorum seriem. Glaciem frangimus, navigent secuturi, quibus secundos precamur ventos.

Statuas poni pro symbolis gentium integrarum adeo per totum fuit orbem solenne, ut & in sacra historia Mosis tabulæ parem referant usum. Irrefragibile dabimus exemplum. In historia deferti Saracenici, cum israel in castris staret apud montem Saracenicum seu Sinai, sub jugo Chorreb, haud longe ab urbe Jatreb, in finibus pa-

Iæstinæ, ad austrum, anno primo ab exitu,
Exod. 24. Moses duodecim constituit columnas
 aut statuas, loco duodecim tribuum, ut quod cum
 columnis illis ageret, cum duodecim tribubus
 egisse diceretur.

v. 3. Descenderat Moses de monte tertia jam
 vice, & adduxerat non parvum corpus nova-
 rum legum *Exodi 21. 22. 23.* Has leges recensuit
 populo, senioribus loco populi præsentibus,
 Quibus auditis, populus, senioresve populi
 præsentes, obedientiam spoponderunt. De-
 scribi dehinc jussit Moses, v. 4. omnia illa sta-
 tuta. Quo factō, pro suo in populum imperio,
 dispexit de vinculo obsequii in populo. Quod
 vinculum in solemni posuit fædere, ut uni-
 versus populus se illis legibus devinctum me-
 minisset. Qui solennis fœderis apparatus, con-
 stitutus a Mose in duodecim columnis collocandis.
 Jussit duodecim statuas erigi, quæ loco duodecim
 tribuum israelis coram adessent, ut quod cum
 statuis perageret, cum toto populo per duo-
 decim tribus egisse censeretur, tanquam in
 effigie. Perinde jam esto, num duodecim rudia
 faxa advolvi ordineque justo locari mandave-
 rit, sive potius, vel ex saxo vel ligno duo-
 decim columnas aut statuas formari ac arte
 poliri curaverit, paris etiam quantitatis ac ma-
 gnitudinis. Cum jordanem trajicerent, duo-
 decim faxa obvia impolita in vado jordanis
 hierichuntino Josuæ jussu fuisse locata, histo-
 ria Josuæ memorat; pro perenni symbolo du-
 odecim

odecim tribuum israelis, quæ in vado jordanis extiterint, per illud ex peræa in palæstinam commeando. Num Mosis duodecim statuæ arte pariter caruerint, an vero artem præ se tulerint, non opus est definire, cum vox **מִצְבָּה** **ἐπιτίμηστος**, ad utrumque monumentum possit referri. Sufficit, duodecim statuas a Mose fuisse positas, quæ duodecim referrent tribus. Et deorum primitus statuæ ingræcorum gente, faxa aut ligna fuere rudia, indeorum memoriam posita; donec cum seculis docuit Dædalus addere nunc manus, nunc oculos. Rudior statuarum forma prior, cultior posterior: quam in rem videndus Pausanias. Ars interim fabricandi non defuit in deserto artificibus omnis generis præsentibus, qui nonsolum res tabernaculi universas magna arte struerent, sed & idolum cum scelло fabricaverant. Nec ergo deerat: quando & ex ære serpens formatus & palo erecto impositus, qui in aerem prominaret. Nec ergo ars honori obstititerit columnarum vel statuarum, aut dnodecim tribuum. Erectis his Mosis mandato duodecim columnis, cum ad ceremoniam foederis iretur cum populo in duodecim his statuis, sacra fieri in antecessum iussit Moses, holocaustis aliisque victimis, juvencis duobus oblatis. Cum in foedere res esset sanguinis, cum foedus fractum sanguine esset foedifragorum luendum, imperavit Moses excipere sanguinem victimarum suis vasis. Partem

tem sanguinis ad aram fudit, partem vero sanguinis servavit ad foederis cum populo in saxis aut statuis sanctionem.

v. 7. Volumen legum superiorum, longa admodum serie, ultra parvum decalogum, Moses in medium afferri jussit, ac populo audiente ac apud statuas stante prelegi mandavit. Finita lectio codicis istius, affirmarunt seniores, nomine populi, se sancte observaturos. Posthaec prehendit Moses *vas cum sanguine, eumque sparsum versus populum duodecim tribuum, putat ad duodecim illas columnas, quae populum referrent, sic fatus: En, sanguis foederis, quod sanxit deus vobis cum, quo ad omnes res illas. Populum conspersit sanguine, hoc ad duodecim illas statuas sparso. Quod & in novo repetitur testamento, Hebr. 9, 19. των αντα τον λαον επράντησε totum populum conspersit, duodecim columnis conspersis.*

Illustrius exemplum statuae Nebucadnezaris, per somnum, capite aureo, pectore argenteo, ventre æneo, pedibus partim ferreis partim luteis. Daniel, interpres, in statua simulacra vidit ac monstravit quatuor regnum aut imperiorum, sibi in vicem succendentium. Daniel, pro sua rerum in orbe peritia noverat usum statuarum, in effigie viri aut feminæ. Quare ex publica consuetudine & natura fere statuarum, quæ hominem referrent, de imperiis certis, eorumque ordine & fatis totum explicuit colossum. Quatuor imperia in capite, pectore, ventre & pedibus divisis, monstravit Daniel, non nominatis regnis illis

præ-

præter primum, ipsius Nebucadnezaris, ceteris non expressis, nisi statu suo vel fortiori vel imbecilliori, elementorum dignitate. Satis, Daniel in statua vidisse ænigma, argumento statuarum ordinario, symbolis regnum, gentium ac populorum. Cum non nisi primum, Nebucadnezaris, nominaretur, visum est commentatoribus, judæis & christianis, sequiorum temporum, nominare singula, adeoque expli-
 are statuam, ex imperiorum in orbe post Nebucad-
 nezarem obviorum statu. Placuere adeo judæis,
 post Babylonicum in statua regimen, quod in
 aureo capite, persicum Cyri in argenteo pe-
 ctore, græcum Alexandri in æneo ventre, Ro-
 manum in pedibus. Unde ex judæorum ore
 nostri quatuor effinxere monarchias universi orbis,
 quæ cum fine orbis finem sint nacturæ, roma-
 norum imperio eo usque extendendo. Quam
 quatuor in orbe monarchiarum, ex judæorum
 arte, fabulam, Bodinus, Conringius, aliquique
 rerum orbis consci, dudum exploserunt. Cum
 interim Daniel in statuæ descriptione Nebu-
 cadnezarem diserte nominaret pro capite, vi-
 sum & nobis fuit ante multos annos, quatuor
 istis in statua imperii formis effigiari præsentis
 tunc imperii babylonici quatuor intervalla :
 Nebucadnezaris, in aureo capite, Evilmera-
 dachi in argenteo pectore, Belsazaris in æneo
 ventre, Cyri denique & Darii Medi in divisis
 pedibus, usque ad liberationem populi ex ca-
 ptivitate Babylonica sub Cyro. In quam rerum
 faci-

faciem, historiæque tunc præsentis, cum vi-
veret Daniel, ordinem, dedimus anno 1708.
*dissertationem de quatuor monarchiis babylonicae, ad
illustrandum colossum in somnio Nebucadnezaris,
Dan. II.*

Nemini jus surripimus, statuam illam illu-
strandi curatius, pro historiæ ordine aptiore.
Cum enim tales statuæ sint ænigmatum, & in
ænigmate historiarum compendia, solvendi æni-
gmatis jus omnibus salvum. Par jus & nobis vin-
dicamus, eandem illam statuam, pro ænigma-
tis indole, illustrandi amplius, ut optio re-
linquatur peritioribus.

Demus exgo, statuam in imperiorum ordi-
ne, præter babylonicum, alia quædam secuta,
babylonico jam fræto, effigias; caput, galea
aurea tectum, qualis erat Cyri juxta Xenophon-
tem, unde caput dictum aureum, totum impe-
rium tunc florens babylonicum, a Nebucadne-
zaris fulgidissimo exordio, usque ad tristem
Belsazaris occasum. Post babylonici imperii
cireulum, Cyri, persicive imperii periodus secuta,
thoracis argentei fulgoris, ut in armato prin-
cipe arma distinguantur metallis. Deterioris
nonnihil conditionis fuit regimen Cyri & Per-
sarum, in primis ratione Palæstinæ. Persicum
argentum in pectore exceptit æs græcum Ale-
xandri, in ventre, armis ac tegumentis milita-
ribus æneis; regiminis forma prioribus nonni-
hil autoritate ac viribus dissimili. Quod Ale-
xandri in oriente imperium, adeoque & in Pa-
laestinæ

*I*aschinam dominium, multo imbecillius priore,
 ab obitu Alexandri, mox est, ut statua viri
 in pedes distinctos, divisum in duo græcorum per
 Syriam & ægyptum regna, Ptolemai Lagi & Seleucis
 Nicanoris, quorum ille in ægypto hic in Syria
 imperavit, imperio Alexandri in oriente inter Græ-
 cos divisio, & divisim ad posteros translato. Qui
 pedes statuae partim ferrei partim lutei, ocreis
 ferreis quidem in utrisque, sed partim emi-
 cante puro ferri nitore, partim luto adsperso.
 In utroque imperio Syriaco & ægyptiaco ferri
 multum, roboris plurimum, pro utrorumque
 regum armis; ast nec parum luti in ocreis fer-
 reis, fortunâ bellica in utroque Syriaco & æ-
 gypciaco regno ancipi, fragilis, quando in præ-
 liis plerumque mutuis, etiam si fortiter pagna-
 rent ambo, nunc hic, Syrus, nunc ille ægyptius,
 succubuit, imbecillitate regni manife-
 sta. Victoria & clades alternae. Quo fato &
 digitii pedum, cum statua viri in fundo luto
 esset in imagine posita, et si lamina ferrea te-
 gerentur luto tamen conspergi, maxima ex parte,
 ut ferrum luto appareret mixtum, luto in ferro.
 In quibus decem digitis longa series regum Syri-
 aci & ægyptiaci græci ab obitu Alexandri divisi
 ac distracti imperii; denario numero rotundo,
 pro multis utrinque regibus, in Syria & ægypto,
 illi ex Seleaco, hi ex Ptolomæo. In Syria
 Seleucus Nicator, Antiochus Theus, Seleucus Cal-
 linicus Antiochus magnus, Seleucus Philopator,
 Antiochus Epiphanes. In ægypto, eodem in-
 ter-

tervallo, Ptolemaeus Lagi, Ptolemaeus Philadelphus, Ptolemaeus Evergetes, Ptolemaeus Philopator, Ptolemaeus Epiphanes, Ptolemaeus Philometor; quorum hic Anticho Epiphani coxxus. Numerus quinarius digitorum in utroque pede, in Syria, a Seleuco Nicatore usque ad Antiochi Epiphanis imperium, truculentum quidem sed lutofissimum ac infortunatissimum: in aegypto, a Ptolomæo Lagi, usque ad Ptolomæum Philometorem. Hucusque statuæ umbra, per babylonicum, persicum, græcum, idque partim Alexandri, partim post Alexandrum, duo græca, imperia; puta ad ævum usque Maccabæorum, quando tyrannis utriusque regni Syriae & ægyptiaci, per intervalla, judæam, gentem & regionem, affixerat in summo gradu crudeliter. In Antiocho igitur Epiphanie & Ptolomæo Philometore cum res ultima staret jugi græci injudæam, divina prævidentia, Maccabæis suscitatis, judæorum prospexit libertati, ut græcorum jugum sensim sensimque fractum a judæis feliciter excuteretur. Quæ libertas judaicæ gentis per Maccabæos restaurata penitus, eousque, ut non solum nullum græcis relinqueretur in judæos jus, sed regnum judaicum avitum ad illos rediret in Aristobulo & Alexandro Jannæo, pontificibus maximis ac simul regibus judæorum potentissimis.

Quæ libertas ab omni jugo superiorum regum, effigiliata in imagine saxo de monte in statuam proruente, illa vi ut tota statua collaberetur, omnibus partibus collisis & fractis.

Mon-

*Montis imago non modo generatim in cel-
fissima divina providentia , sed etiam specia-
tim in religionis judaicæ integritate ac fince-
ritate, eminenti veteri honore, ad ideam mon-
tis, in quo templum, in urbe hierosolymorum.
Mons adeo montis moriæ gloria , religionis
judaicæ celsa dignitas , quam domus macca-
baica vindicavit, & per illam libertatem revo-
cavit. *Saxum, de monte proruens*, Maccabaica
domus, religionis judaicæ præsidium, populi
vita & salus. Maccabæi, per Judam, & fra-
tres, Jonathanem, Simonem, saxo similes , a-
nimo, armis, invicti, constantes, religionis &
regionis vindices cordati. Simonis dein filius
Hyrcanus , multo validior, & Alexander Jan-
næus, Hyrcani filius, omnium robustissimus,
potentia Salomoni par aut major. Hoc faxum
sine humana manu de monte ruit, præceps in
statuam devolutum, *solius divinæ gratiæ ac pro-
videntia mutu ac moderamine*; cum essent in
principio & Maccabaica domus nullis ad a-
gendum nec armis nec præsidiis instructi. So-
lius igitur dei ope Maccabæi tantum opus
confecerunt.*

Illo vero impetu *ruit illud saxum in statuæ pe-
des*, ut corrueret totus ingens colossus, in rudera
mera versus. Quæ est fortuna bellorum do-
mus maccabaicæ cum ultimo tunc præsente
imperio græco, in Syria & ægypto, quando
Antiochi Epiphanis furor per belli duces in ju-
dæos per *Maccabæos penitus fractus est*, & suc-
cessorum Antiochi vis omnis per Simonem &

Hyr-

Hyrcanum extincta penitus , jugo omni prorsus excusso.

Illis fatis servitus diuturna tot seculorum , sub babyloniis , persis , græcis , in oriente dominis , omni ex parte est sublata , libertate religionis & gentis recuperata , ut non tantum in eadem Maccaica domo essent pontifices , sed & duces , quin & reges . Atque illo ævo libertas per Maccaebæos parta imperium populo reddidit absolutum , Davidis & Salomonis exemplo , nullo tunc jugo extero judæam premente , celsissimo regno .

Hæc illa statua , & in statua imperiorum diversorum effigies , per intervalla , pro corporis situ ac statura , a capite ad pedes imos , pro symborum scopo .

Nobis abunde sufficit , in exemplo statuæ Nebucadnezaris submonstrasse statuarum nervos , pro scopo autorum aut conditorum , ad effigienda fata regnorum , populorum , gentium , rerum publicarum .

In interpretatione statuarum vetustarum res omnis reddit in historiam , regnorum ac gentium . Quanto quis historiæ peritior , tanto integrior statuarum , veterum , imaginum , simulacrorum , idolorum , interpres . Historia gentium , urbium , est statuarum ac idolorum anima , ex artificum recondito scopo & consilio teœto . Interpretis est , detegere in statuis & idolis gentium ac urbium res ac illustria fata . Ænigmata in idolis , solvuntur ex historia : ænigmata in imaginibus , in canticis , ut in cantico judaico paschali , hædo , ex vicribus historiæ deteguntur .

Scrib. in acad. Julia , an. 1727. d. 9. Jan.

AB: 153462

X 2310955

H







IN BIGAM SVPERIOREM, DE MI-
NERTVA GRÆCORVM, ET HÆDO
JVDÆORVM:

STATVÆ
PRO REGNIS, POPVLIS,
VRBIBVS:
IN STATVIS ÆNIGMATA.

PRO
AVGMGENTO TERTIO
BENEFICIORVM NVPERORVM
IN VSVM

CL. HALLENSIVM PHILOSOPHI,
VT IN STATVIS VIDEAT
ÆNIGMATA, ET IN BACCHO, QVEM
EXPECTAT, GRÆCVM PRÆSENTIAT
POPVLVM.

IN ACADEMIA JVLIA
A. MDCCXXVII.

MENSE JANVARIO
SVBMONSTRANTE

HERMANNO von der Hardt,
ACAD. JVL. SEN. ET PRÆP. MARIÆ.

HELMSTADII,
LITTERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.